

solum venere et uxores secum duxere, et filii eorum iam noluerunt cum aliqua gente se coniungere, eo quod metuebant pulchritudinem amittere, quoniam tam Gallis quam Germanis pulchriores erant; sed semper germanas suas uxores accipiebant. Set inde cognitum est nobis, qualiter exiere de paludibus Franci Meotidis et Gallias debellavere, et habitatores effecti sunt Galliarum; deinde qualiter Longobardi Italiam ad habitandum venere. Porro audientes Smeroiingi, quod talia fecere Franci et Guinili, qualia et ipsi voluerunt facere. Erant autem duo regis Smeringorum filii, unus vocabatur Aurismer, alter vero Fulgensmer. Nam Aurismer vocavit Fulgensmerem et dixit ei: 'Germane veni et me audi. Eamus ad Francos, ut dent nobis terram fructiferam; alioquin nos accipiamus per nos, quoniam longum est expectare patrem usque ad mortem'. Tunc continuo elegere duo milia viros bellicosissimos Smeroiingos, pulcherrime armatos, simulque centum de duobus milibus viros elegerunt, qui altrinsecus pergerent, vel qui provisores cunci forent, viros iuvenes pulcherrimos, capillis flavis, cum barbulis florentibus, cum armis deauratis vel gemmatis. Clippei vero vel enses eorum omnes liniti de auro erant, et minute gemmati; loricae vel capsides tantum de auro linitae. Erat autem inter eos vir nimium procerus, vocabatur Lampo, qui contum gestabat, facie nitebat ultra omne linteum; capilli eius crispi vel flavi ad instar lactis, collum eius candidum sive rotundum sicut columpnella marmorea; oculi eius magni lampabant velut flamma ignis et radii solis; omnia membra eius ad exercenda bella apta, scapulis latis, robustus. Ad ultimum talis erat, ut tam pulchritudine quam fortitudine formosus inter Germanos vel Gallos foret. Deinde ad Francos devenere infantes; quamobrem tunc dixerunt Franci: isti mori debuissent, si per fidem non venissent. Cepere periculum quod nunc videmus a parte Normannorum vel Smeroiingorum cogitare et Galliarum, si Smeroiingi cepissent ad Gallias venire. Unde illud cepere cogitare proverbium: *Enignes venient Smeroiingorum valde amari Europa in tuis finibus ambrosiis*. Tamen dixerunt eis: 'Pergite ad Noricorum fines, quoniam oppidosa est et bona illa terra ac amabilis'. Illi autem ad illas perrexerunt. Statim enim ut venere et gentis homines illius videre, ilico periculum cognovere. Tunc consilium iniere et rusticorum cetum exspoliavere et vestimenta eorum induere et cepere negotium veluti negotiatores exercere. Hoc autem videntes homines regni illius, venere ad illos sicut ad negotium, non velut ad bellum. Smeroiingi autem casu super eos irruere, et ad portas usque civitatis per cadavera mortuorum perrexerunt, civitatem acceperunt. Audiens autem rex Francorum civitatem subiectam vel captam, adeo